



## **Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum**

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.  
Xenivm Academicæ Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli  
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacræ & profanæ historiæ  
à fine captivitatis Babylonicæ & Hebræorum Ducum ac Persicæ  
Monarchiæ initio usque ad Christum natum

**Gartner, Michael**

**Herbipoli, 1697**

Nova inventa & urbium natales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

§. 8. *Nova inventa & ur-  
bes condita.*

**I**nter ea, quæ hâc mundi ætate no-  
va inventa sunt, præcipuè memora-  
bilis est & miraculosa inventio ignis  
sacri anno m. 3609. ante Chr. 444.  
*Artaxerxis* 20. de quo igne sic refer-  
tur.

Judæi, qui præ cæteris pietate præ-  
stabant, cum in Chaldæam captivi  
ducerentur, partem quandam ignis ex  
altari incensi acceptam in caverna  
ficcæ putei reposuerunt diligenter il-  
lam occultantes: cum præterissent  
autem anni multi videlicet 163. utpo-  
te 70. desolationis & 93. Imperii Per-  
fici *Nehemias* missus à Rege Persidis  
Hierosolymam, nepotes sacerdo-  
tum illorum, qui ignem absconde-  
rant, misit ad inquirendum ignem, qui  
aquam crassam pro igne invenerunt.  
Jussit igitur *Nehemias* afferre aquam  
illam, & sacrificia, quæ imposita erant,  
& ligna, quæ superposita erant, asper-  
gi,

gi, cūque sol, qui prius erat in nullo, subitō refulsisset, magnus ignis accensus est, ita ut omnes mirarentur renovata Eliæ miracula. Atque sic in laudes Dei universus populus se effudit, donec sacrificium consumptum esset. Tum Nehemias iussit residuum aquæ crassæ infundi in lapideas urnas, ex quibus mox iterato miraculo ignis emicuit; ignis autem, qui perpetuus erat in altari, ita exarsit, ut aqua, quæ erat in lapidibus, inflammata fuerit atque consumpta.

Delato ad Artaxerxem hoc miraculo, locum, in quo aqua inventa fuit, voluit posterum ut sanctum, & instar templi in veneratione haberi, & tum locum, tum sacerdotem multis muneribus honoravit, & tantò quidem majore honore, quò magis Persæ ignem semper venerari consueverunt.

Eodem festo, primo scilicet die Scenopagiæ sive tabernaculorum, quo ignis hoc inventus est, probabiliter etiam reperiuntur tabernaculum, arca & altare, quæ eodem tempore, quamquam diversis locis, occultata fuerant. Quamquam

quam his de rebus in scriptura mentio non fiat, uti de igne sacro: nam & alia plurima sacra scriptura silentio involvit, quæ optarem tradita esse.

Post reditum ex captivitate Babylonica, restituti sunt libri sacri, qui à principe militiæ *Nabuzardan* vel ex parte accensi, vel temporum injuriâ & rapinis perditæ erant, restaurato *re Esdrâ*.

Multi censent libros omnes veteris testamenti à Chaldæis cum templo fuisse exustos, & ab *Esdra* ex memoria potius divinâ, quàm humanâ restauratos. hujus opinionis fuit *Tertullianus*, *S. Basilus* episto ad *Chilonem*, *Theodoretus* in præfat. ad psalmos, *Rabanus*, *Leo Castrius* præf. in *Maiam* & alij multi. Verùm etsi sententia hæc videatur probabilis ob doctorum virorum auctoritatem, probabilius tamen, & ex ratione certius videtur *Cornelio à Lapide*, non omnes libros sacros à Chaldæis exustos, nec ab *Esdra* ex memoria restitutos esse; primò, quia nusquam legitur Chaldæos exussisse hos libros, & esto exussissent omnes, qui erant *Hierosolymæ*, tamen exurere non potuerunt eos, qui per totam *Judæam*, imò per totum orbem manibus

nibus Judæorum, præsertim scribarum  
 Rabbiorum assidue terebantur, & in  
 synagogis legebantur. Secundò quia Dani  
*cap. 9.* ait se anno primo *Darij* intellexisse  
 numerum septuaginta annorum, de quibus  
 scripserat Jeremias Propheta; habuit ergo  
 Daniel prophetiam Jeremiæ ac cæterorum  
 prophetarum, eamque lætabat. Tertio  
 quia *Josephus* scribit lib. 11. c. 1. *Prophetia*  
*am Isaiæ cap. 45.* de Cyro: ipsi Cyro ostē-  
 sam fuisse à judæis, ideoque illum sibi be-  
 nevolam reddidisse lib. 11. judicandum igi-  
 tur est Esdræ hoc sensu libros sacros re-  
 staurasse, quòd in rectum ordinem digesse-  
 rit, & in lectiones, quas *Parasiorum* vocant  
 Hebræi, & successivè in synagogis legunt,  
 divisit: errata insuper, quæ scriptorum  
 vitio irreperant, correxit, & purior  
 puritati restituit, idque non tam scientiâ  
 acquisitâ, quàm cælitus infusâ. Præterea  
 re, quæ in libris singulis deerant, Esdræ  
 supplevit. Unde multi censent Esdræ  
 assistente spiritu S, Moysi addidisse *cap.*  
*34. Deut.* eoque Moysis mortem & sepul-  
 turam descripsisse. Idem fecisse *Esdræ*  
*ultimo ac Ieremia cap. ultimo*, ubi regnum  
 Evilmerodach & exaltatio Jechoniæ me-  
 moratur, cum hanc Jeremias jam mortuus  
 scribere nequiverit: sic quoque supplevit  
 finem *Tobia & Judith*; liber enim *Judith*  
 scribitur

scriptus putatur à Joacim pontifice, qui ante Judith vitâ functus est. Sic *Cornelius à Lapide & Saliannus* cum *Isid.* lib. 1. Alleg. in *Esdram*. Addit *S. Hieronymus & Eusebius* *Esdram* invenisse novas litteras Hebraicas, quibus etiamnum utimur & præfatas reliquisse samaritanis, ut judæi nihil commune haberent cum samaritanis, ne quidem litterarum commercium. Unde elementa, quibus jam olim & hodie utuntur Hebræi, non sunt veterum Hebræorum sed Assyriorum auctore *Esdra*.

*Genebrardus* in *chron.* ait: *Esdram* *Cabalam* apud Hebræos collegisse, & 72. duobus libris mandasse, ejus consilio & operâ libros sacros collatos & emendatos esse; unde *Tikkun Sopherim*, id est, CORRECTIO SCRIBARUM appelletur, sive *Tikkun Ezra* id est CORRECTIO EZRÆ, quasi *Ezra* princeps fuerit scribarum.

Idem *Genebrardus* refert in *chron.* Prophetis successisse post *Esdram* & *Nehemiam* synagogam magnam, cuius primi institutores & principes fuerint *Esdra*, *Nehemias*, *Mardocheus*, *Zorobabel*, *Josue*; hos præfuisse concilio, quod centum viginti homines, quorum alii nobiles, alii plebeji erant, de

de emendandis libris sacris, eorum canone juxta præscriptum Cabbala inierunt, in quo concilio sancitum sit, Josuam fuisse ita edoctum à Moysè, & à Josua seniores, à senioribus prophetas: concilij autem notarium *Esdram* fuisse. Addit *Genebrardus* in hoc concilio scribas initium sumpsisse, quos *Esdra* instituerit, ut legem ad litteram interpretarentur, legis difficultates explicarent, librosque ejus intactos conservarent, ne denuò corrumpèrentur. In Evangelio appellantur *Legisperiti*.

Hæc synagoga magna sub antistite *Esdra* scripturas distinxit in versus Hebraicè *Pesukim*; unde Hebræorum codices per sententias, membra & versus divisi, & intervallis distincti sunt, qui antea veluti unicus versus erant. Quas distinctiones postmodum *S. Hieronymus* quoque observavit in versione scripturæ sacræ, ut ipse de se scribit *præf. paral. & Esdra*.

Anno m. 3609. Artaxerxis 20. surgent  
cepe.



ceperunt, & eodem adhuc anno, vigesimo quinto die mensis Elul spatio quinquaginta duorum dierum, perfecti sunt muri Hierosolymæ, cum portis & turribus, cum omnium gentium admiratione, operâ nimirum & solertiâ, singulari fortitudine & auctoritate Nehemiæ, qui singulis tribubus & vicis ac vicorum præcipuis habitatoribus, partes & spatia murorum ædificandorum distribuit: ædificantes autem suâ prudentiâ & magnanimitate adhibitis solerter custodibus protexit, & interpositis ad Deum precibus in opere prosequendo constantes retinuit & corroboravit. Circumdatur igitur Hierosolyma muro undique fortissimo, & duodecim portis pervio, ita ut civitas quatuor portis pateret ad Orientem, quatuor ad Occidentem, & totidem ad septentrionem: nam meridiem versûs, unde præruptæ rupes montis Sion nullum aditum dabant, nulla porta construebatur.

No.



Nomina porrò portarum singulorum, sunt : primò ad orientem *porta fœchilis* \* *porta aquarum* \* *porta equorum* \* *porta gregis* \* ad Aquilonem *porta Benjamin* \* *porta piscium* \* *porta vetus* \* *porta Ephraim* \* ad Occidentem, *porta anguli* \* *porta vallis* \* *porta sterquilini* \* *porta fontis* \* si quas alias portas alii nominant, vel illæ sunt eadem cum his, vel extra urbem non ducunt, suntque fictæ portæ, ut non veteri Hierosolymæ, sed novæ Æliæ conveniant.

Judæis ædificantibus valde solerte & properante manu, omnibus modis obistere conati sunt Samaritani, duce & invadente antesignano *Sanabelle*. Samaritani primò tanquam temerarium quid & supra vires suas machinantes contemptui habuerunt, & subsannaverunt, postmodum ex improviso armis eos opprimere paraverunt, si possent aperti facinoris apud regem arguentis, cujus diplomate instructi ædificare aulam sunt : sed impeditum est facinus crudele Nohemix industriâ, qui, ut Josephus ait, *non circumquaque urbem obibat, nunquam defessus aut opere aut duritiâ victus, nisi*

nec somno utens, nisi quantum necessitas postularet. Alias quoque occultas insidias Samaritanorum cautè & prudenter elusit. Ut enim Nehemiam facerent judæis contemptibilem, usi sunt operâ cujusdam Pseudo-Prophetæ. Erat is *Semeias* sacerdos, & habitus quasi vir quidam sanctus, qui domi sese continebat; hic vocavit *Nehemiam* ad se, quasi dicturus aliquid nomine Domini: Venit ergo in domum ejus secretò, cui pseudo-prophetes, *tractemus, inquit, nobiscum in domo, & claudamus portas adis, quia venturi sunt, ut interficiant te, & nocte venturi sunt ad occidendum te*: voluit ergo timore percellere Nehemiam, ut se absconderet in templo, & sic absente Nehemia ædificantes languerent in opere, & excubias negligerent, tantò faciliùs opprimendi; cui fortiter Nehemias reposuit: *an quisquam mei simili (vir fortis scilicet & cui populi commissi cura fidelis est) fugit? & quis, ut ego, ingreditur templum, & vivet?* id est, ut vitam suam tueatur, quasi rebus omnibus jam desperatis: *non ingrediar.* Et intellexit Nehemias, quòd Deus non misisset hunc mendacem prophetam, sed quòd inimici conduxissent eum. Igitur tantò fortius animavit Judæos, ut alterâ manu armarentur contra hostes suos, si qui fortè ir-

rumperent, & alterâ lapides struerent, muros ædificarent.

Postquàm auspice & auxiliante Deo murus stetit, solennitate magnâ dedicaverunt eum Domino, ut & murus & civitas esset Deo sancta, in quem finem, convocatis Levitis & Judæis extra urbem quaquaversum habitantibus; præviis ablutionibus & expiationibus comprecatio totius populi bipartitò instituta est circa murum, ita ut unus chorus iter susciperet ad dextram à porta scilicet sterquilini ad montem Sion, & alter chorus ex adverso procederet ab eadem porta ad sinistram versùs Aquilonem, donec occurrerent sibi ad *Portam Custodis* (quæ non ducebat extra urbem, sed vicina erat portæ gregis) circumeunte in hunc modum populo & magistratibus super murum decantabantur divinæ laudes, & psalmi Davidici magno instrumentorum consonantium apparatu, & sacerdotes hyssopi fasciculis murum conspergebant, sicque magnâ

magn  
tes g  
tutat  
incli  
latum  
genti  
defor  
nitas  
puli  
ac vic

No  
te

A  
Rom  
ciam  
Rom  
conv  
hum  
trire  
gnati  
gnita  
regat



magnâ lætitiâ in templam introeun-  
tes gratias Deo persolverunt, quòd  
tutati ab eo essent contra inimicorum  
incursiones & machinationes, & sub-  
latum nunc esset opprobrium, quo à  
gentibus traducebantur, ob urbis suæ  
deformem ruinam. Duravit solen-  
nitas integro octiduo in publica po-  
puli lætitia, & divinis simul laudibus  
ac victimis transacta.

*Nova quedam apud Gen-  
tes hæc ætate Instituta vel In-  
venta.*

**A** Nno m. 3601. ante Christ. 452.  
Olymp. LXXXI. urb. cond. 300  
Romani legatos suos miserunt in Græ-  
ciam & Athenas ad leges petendas  
Romanorum moribus & institutis  
convenientes, electique sunt *Sp. Post-  
humus, Ser. Sulpitius, & A. Manlius,*  
tremibus ad hanc legationem affi-  
gnatis, & ex ærario exornatis, pro di-  
gnitate populi Romani. Redierunt  
legati cum legibus anno 3603. quas  
con-

conscriptas partim ex Græcorum, partim ex patriis consuetudinibus decem tabulis Decemviri populo legendas proposuerunt, & primò quidem privato cuiilibet, non ægrè ferentes à privatis hominibus admoneri, si quid displicuisset, longoque præmisso examine centuriatis comitiis in præsentia Pontificum & augurum, aliorumque sacerdotum à re divina exorsi, calculos dederunt, tum plebiscito quoque confirmatas, & in area columna incisas unà serie in loco fore maximè conspicuo proposuerunt.

Hæc quoque ætate Romani varia officia reipublicæ gubernandæ in primis idonea excogitaverunt, & officiales constituerunt. Ejusmodi fuerunt *Tribuni Plebis*, qui erant quasi proprii iudices & defensores, quibus populus à consulum & senatus tyrannide protegebatur.

*Dictatores*, quorum potestas erat, ut auctoritate summâ & potentia adversus consules procederent, si illi

hostiliter agerent. Ut factum, quando *Porsenna Clusij* rex armis *Tarquinius* superbum reducere conatus est, quod ne fieret, primus dictator *T. Lars* obstitit; post quem deinde alij creati sunt: fuitque non annua tantum, sed quinquennalis dignitas.

Cum *T. Lars* primo dictatore institutus est simul primus Magister equitum *Sp. Cassius*, cujus erat in omnibus obsequi dictatori.

Anno m. 3612. Olymp. XXCIV. instituta est censoria dignitas & potestas, cujus magistratus creandi causa fuit, quod consules senatum docuissent propter continuas consulum expeditiones, tum alia multa, tum census quoque habendi curam negligens ex quo censu, & numerus eorum, qui militari ætate esse cognoscebantur, & opes observabantur, pro quarum ratione unumquemque ad bellicos sumptus contribuere, oportebat, primi que censores creati sunt *L. Papyrius Murganus*, & *L. Sempronius Attratinus*.

F

Anno

Anno m. 3646. ante Chr. 487. con-  
urb. 345. instituti sunt primi *quæstori*  
& primò collata est dignitas *Patriciorum*  
*Fabio Ambusto*. Eratque hoc inven-  
tum primò bellorum causâ; mitte-  
bantur enim quæstores cum consuli-  
bus & prætoribus in militiam ad rem  
pecuniariam administrandam, & præ-  
das ac manubias in rationes publicas  
referendas. Hujusmodi quæstores  
thesaurarios bellicos vocamus. Quæ-  
stores quoque constituti erant urbani,  
qui ærarium publicum curabant, &  
pecunias expensas & acceptas in ta-  
bulas publicas referre consueverant.  
Pro quibus nunc habentur præfecti  
ratiociniorum, quos magistros com-  
putorum vocamus.

Instituti *Decemviri*, qui legibus  
constituendis & reipublicæ ordinan-  
dæ cum summa potestate præerat,  
adeo ut ab iis, quemadmodum à  
Statoribus nulla esset provocatio.

Creati sunt etiam *Adiles*, quibus  
fuit quasi urbis curatores.

Hâc ætate præter varia inventa in usum rei militaris, primus auctor navium solubilium fuit Alexander Magnus, qui cum adversus Indos moveret, & flumina multa superanda essent, ita jussit navigia construi, ut soluta plaustris vehi possent, rursusq; ubi opus esset, conjungi: & sic contra hostium expectationem exercitum transportavit.

### Urbes Condita.

Urbes celebriores conditæ propter historicorum dissensionem, quolibet antiquitatis palmam pro affectu suo nationali sibi vendicante, vix nominari neque numerari possunt. Præcæteris in historiis antiquis memorantur, *Abdera* in Thracia primò condita aut reparata hâc ætate à Clazomeniis: unde etiam *Clazomene* dicta est. Ejus incolæ adeo stupidi fuerunt, ut locum proverbio dederint. Hujus urbis indigena fuit *Democritus* ad quem sanandum ut fanaticum cum



deritæ Hippocratem medicum evocasset, hunc quidem sapere pronunciat: evocantes autem elleboro indigere, & quibus totæ satis Anticyræ non essent.

Mediolanum \* tempore Artaxerxis \* Pavia in Cisalpina Gallia \* Comus in Lombardia \* Bergomum in Cisalpina Gallia \* Brixia in Cisalpina Gallia. \* Verona Venetarum civitas \* Vicentia \* Cremona \* Mantua \* Placentia \* Alba \* Taurinum totius Pedemontanæ regionis caput \* Augusta Prætoria \* Vercellæ \* Novaria \* Savoia \* Naulum \* Albinga \* Agrippina nunc Colonia dicta \* Lugdunum \* Narbona \* Tolosa \* Parisij \* Vesuntio \* Parma \* Mutina \* Ferraria \* Bononia dicta primò Felsina, postea Boionia \* Ravenna \* Imola \* Florentia \* Ariminum \* Florentia \* Sena \* Perusium \* Aretium \* Beneventum \* Nicea \* Alexandria condita ab Alexandro Magno intra spatium

tium 17. dierum cum sex millibus mu-  
rorum passibus \* Antiochia \* Lao-  
dicia \* Apamia \* Cornetum \* Luca \*  
Treviri; quanquam multò antiquio-  
res natales suos hæc civitas jactet, un-  
de potius hæc ætate reparata vel aucta  
videtur, quàm primò fundata.

Refert Bergomensis in suo chroni-  
co, plurimarum urbium hæc ætate con-  
ditarum fundatorem Brennum fuisse,  
Monuchi Anglorum regis filium,  
ducem Gallorum Senonensium, qui  
temporibus Artaxerxis sive Assueri,  
cum exercitu trecentorum millium  
Gallorum, patrio solo derelicto, in Ita-  
liam venerit, & expulsis veteribus Tu-  
scis urbes plerasque in ea excitavit.  
Sed difficile est litem dirimere, & tot  
urbibus pro antiquitatis prærogativa  
certantibus, singulis certos natales de-  
terminare.

*§. IX. Scientijs & artibus  
celebres in V. mundi ætate.*

**Z**ENO ELEATES natus circa an-  
num  
F 3